

cum fuerit de spe sua res ac-
cepturi sumus mercedem de-
narium. Ipa enim merces
reducitur operarius munera
laborantibus secundum eua-
gelium quod credo remem-
bera. Neque enim omnia com-
memoranda sunt tamquam
rudibus et imperitis. **Salv**

ne mortis et opum mi-
raculis imbuebat. ut de-
et unigenitus dei et filius
hominis crederetur. Nam
unum horum sine alio au-
non poterat ad salutem
et equis erat. Primum co-
mum. Ipsi enim existimant
dum tantummodo sin-

omne. ut. **Salv**

Salv

nos



Tom. *Præcell.* 59.

~~G. 17. 2.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-42.

SIGNAT. CLDCCCXIII.

B. 17.



4
DISPUTATIO DE
MELCHISEDECH EX GE-
nes. 14. & Epistola ad He-
bræos, 7.

Diuina aspirante gratia.

PRÆSIDE
REVERENDO ET CLA-
RISSIMO VIRO, D. IACOBO HEER-
BRANDO, Sacrosanctæ Theologiæ Doctore,
& Professore in inclyta Tubingensi Academia ce-
leberrimo, Præceptore suo fidelissimo, & omni reue-
rentia colendo, M. ALEXANDER VVOLFF-
HARDT Vvaiblingensis, 29. Martij hora sex-
ta, matutina, loco solito, exercitij causa, de
materia proposita, pro ingenij
viribus, responde-
bit.



TUBINGÆ,
M. D. LXXVII.

DISPUTATIO DE
MELCHISEDICH EX CE

pt. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Disputatio prima

PRÆFATIO

IN NOMINE DOMINI AMEN
AUCTORIS NOMEN
LUGDUNI BATAVORUM
MDCCLXXII

THOMAS
M. B. L. X. X. X.



DISPUTATIO DE
MELCHISEDECH, EX GE
genes. 14. & Epistola ad He
braeos. 7.

I.



Vis Melchisedech fuerit, aut unde natus, Scriptura sacra nusquam expresse docet. Sed & Moses, & author Epistolae ad Hebraeos, qui tamen ex proposito plurima de eo scribunt, studiosè dissimulant eius Genealogiam.

2. Communis & Iudaeorum, & Christianorum est sententia, fuisse Sem, filium Noah, qui temporibus Abraham adhuc erat superstes, & summus gubernator, ac Pontifex Ecclesiae, & ultra Abraham annos vixit 35.

3. Quod verò contra obijcitur, Genealogiam & aetatem Sem esse descriptam: de Melchisedech verò ista ignorari. Ideo non esse Sem? Respondeo, Ideo mutatum esse nomen proprium, in appellatiuum Epitheton. Significat enim Regem iustitiae, siue iustum, ut seruiretur instituto, & Mystero.

4. Sed non est quòd curiosè hæc scrutemur, aut laboremus anxie, cum Spiritus S. hoc nos ignorare voluerit: nec in hoc nostra periclitetur Religio, maximè cum Apostolus nos doceat, Genealogias illas interminatas esse, ac magis Quaestiones parere, quàm facere & adificationem. 1. Tim. 1.

5. Hoc certè constat, hunc Melchisedech, quisquis tandem fuerit, siue Sem, siue alius, illustrem habuisse de Deo cognitionem, & reuelationem de Abraham, quòd ex ipsius posteritate, & familia, Messias esset nasciturus, sicut Iacob ex Spiritu Sancto prædixit, de tribu Iuda.

A 2 6. Misere

6. Miserè autem, & multis in locis deprauatus est textus Mosis de Melchisedech, Genesis 14. Vt hinc Missæ sacrificium & Sacerdotiũ extrueretur, & stabiliretur, dum legunt in vsitata translatione: At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei (Abrahæ.)

7. Primum enim duæ ponuntur aduersatiua. At, verò: cum sit coniunctiua. Et, Deinde, pro PROFERENS, alij reddiderunt, OBTVLIT, sicut scilicet in sacrificijs fieri solet. Huc tertio facit, causalis particula (Enim) addita, quæ in Hebræo non est: quasi sit Ratio, quòd ideo obtulerit, Deo scilicet, quia fuerit Sacerdos altissimi. Cum in Hebræo legatur: & ipse Sacerdos. Descriptio enim est personæ, quis fuerit, non causæ redditio. Prostre mò, malè distinguitur. Separantur enim, quæ erant coniungenda, nempe parenthesis cum sequentibus. Et coniunguntur Panis, Vinum, & Sacerdos, quæ erant separanda. Sic enim legendum erat. Et Melchisedech Rex Salem, protulit panem & vinum: Et ipse Sacerdos Deo altissimo, & benedixit ei, &c.

8. Duo ergo hîc dicuntur de Melchisedech, quod & Rex fuerit: & hac ratione Abraham, eiusq; comites ac milites longo itinere & labore bellico defatigatos, ac famelicos, hospitio susceptos, pane & vino refecerit: Et Sacerdos. Ideoq; iure officij Sacerdotalis Abrahæ benedixerit, ac decimas ab ipso receperit.

Verbum autem, quo hîc Moses vtitur אָרַךְ significat protulit, depromsit, extulit, *erüg auff* / Sicut etiam legunt Cypr. Chrysof. Augustinus & Hieronymus, qui dicit, quòd in refectioem tam ipsius Abrahæ, quàm armatorum ipsius, Panem Vinumq; protulerit. Hoc ipsum Verbum, iisdem plane literis infra cap. 19. scriptum in eadem significatione habetur, vbi

Hieron. ad
Euagr.

ubi Angeli precipiunt Loth, ut suos suaq; omnia quae habeat Sodomis, educat *אֲדָרְבַּי* Non offer, sed educ. Et sequitur Ratio: Quia perdituri sint locum istum, ne una pereant. Sed & ibidem Sodomitae eodem plane verbo utuntur, de hospitibus Loth, Angelis, eiq; precipiunt, ut eos educat. Quod si offerre significat, verbum illud Hebr. Ergone Sodomitae, sancti scilicet homines, Angelos Dei, sacrificare & offerre volunt Deo. Quae haec impia absurditas?

10. Haeretici quidam fuerunt, qui, ut refert Epiphan. Equiphan. lib. 2. Tomo 1. Melchisedeciani sunt dicti, qui arbitrati sunt, Melchisedech magnam *δωξαμην*, virtutem, ac maiorem Christo, sine Patre & Matre fuisse. Libros etiam sibi ipsis finxerunt fucatos & commentitios, re ipsa non consistentes, sed figmento tantum productos, se ipsos decipientes. Praeterea idem Epiphan. refert, Hieracem finxisse, Melchisedechum esse Spiritum sanctum, eò quod assimilatus sit filio Dei. Sed horum vanitas, imò furor potius ac portentosum dogma, manifestiora sunt quam ut prolixae & operosae refutatione indigeant. Igitur his omissis, de Melchisedech dicendum.

11. Ex sacra Scriptura constat, Melchisedech, Typum fuisse Christi, ratione personae & officij. Psal. 110. De Christo, Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech. Heb. 7.

12. Primum enim quod ad personam attinet, scribitur assimilatus filio Dei, quia sine Patre, sine Matre, sine Genealogia, neq; initium dierum, neq; finem vitae habens.

Haec in solo Christo locum proprie habent, qui, quod ad ipsius naturam Diuinam attinet, matre in caelo: & quod ad Humanam, Patre caret in terris. Tertull. ita loquitur: Sicut nondum natus ex virgine, Patrem Deum habere potuit sine Homine Matre: ita cum de virgine nasceretur, potuit Ma-

trem habere hominem, sine homine patre.

14. Nam quòd Melchisedech introducitur sine patre & matre, non est existimandum, quòd parentes non haberit: sed ratione Mysterij, & figura, ut huic subserviret, generatio eius in scriptura non est annumerata, ut dicto loco ad Hebr. habetur. Sic nec etiam vitæ initium, aut finem habuisse scribitur expressè, quia non exprimuntur in scriptura sacra, quæ nullam ortus & obitus eius facit mentionem, ad designandam filij Dei aternitatem, principio & fine carentis.

15 Melchisedech Rex fuit Salem, & dictus est iustus Rex, simul etiam Sacerdos Dei altissimi.

26 Christus autem verus Rex est, regens virga directionis, & sceptro verbi sui subditos suos, defendens etiam contra hostes, Diabolum, mortem, infernum & mundum, destruxit opera Diaboli, conterens caput illius: Regnat, & est caput Ecclesie, quæ est corpus ipsius, quam collegit & regit in his terris verbo suo: defendens eam contra furores Diabolorum, & totius mundi potentiam.

17 Sed & Rex iustitiæ est, imò ipsa iustitia, idque non solum pro sua persona, sed etiam nobis factus à Deo patre iustitia, sanctificatio & redemptio. Huius etiam iustitiæ, quæ est omnium absolutissima & perfectissima, secundum utramque naturam diuinam & humanam, faciendo & patiando in assumpta humana natura, nobis donatur & imputatur credentibus in eum. Nec solum imputatur, sed inchoatur etiam iustitia in nobis in presenti vita: in altera verò perficietur, ubi re vera conformes erimus legi diuinæ. Quæ tamen omnia & singula gratuito Dei dono in Christo consequimur, sicut dictum est: Orietur in diebus eius iustitia.

Psal. 71. 18 Præterea, Christus Rex est Salem, id est, pacis, unde & princeps pacis dicitur. Sicut ipso nato canunt Angeli

geli: Et in terra pax. Quia nos peccatores Deo patri reconciliauit, iustificati fide, pacem habemus erga Deum. Luc. 2.
Rom. 5.

19 Denique, idem Christus sacerdos est, & quidem summus, qui primò semetipsum obtulit in odorem suauitatis Domino. Quo sacrificio vnico verè propitiatorio, ita placauit iram Dei patris cœlestis, vt omnibus obtemperantibus sibi factus sit causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech. Deinde de Deo veram doctrinam, Heb. 5. eiusque voluntatem nobis reuelauit, & adhuc docet per verbum suum, donatis Apostolis, Prophetis, Euangelistis, Doctoribus, pastoribus, &c. Tertiò intercedit pro tota Ecclesia apud patrem cœlestem Ioan. 17. Oro autem non pro eis tantum, sed & pro omnibus, qui per nomen eorum credituri sunt in me. Rom. 8. 1. Ioan. 2. Hæc vera sunt summi nostri Pontificis, sacerdotalia officia, & beneficia.

20 Et hoc est quod Dauid cecinit de Domino suo, cui dixit Dominus: Sede à dextris meis: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

21 Fuerunt quidem & Leuitici, siue Aharonici sacerdotes, sicut totum ipsorum sacerdotium, & omnia sacrificia, quæ Deus per Moysen in Republica Israhelitica instituit, typi Christi, Lex vmbra habens futurorum. Sed Melchisedeci præstantius fuit quàm illorum. Ideo Christus sacerdos dicitur, non secundum ordinem Aharonis, sed Melchisedech.

22 Quod author Epistolæ ad Hebræos multis Argumentis per Antithesin probat, ostendens discrimen inter vtrūque, secundum ordinem Melchisedech, & Leuiticum seu Aharonicum.

23 Quia Melchisedech benedixit Abraham. Manifestum autem est, & sine vlla contradictione verum, quòd minus à meliøre benedicatur. Cum igitur Abraham benedictus sit à Melchisedech,

chisedech. Ergo Abraham minor illo fuit, & sic consequenter, eorum etiam Sacerdotium Leuiticum. Quia in Abraham, Leui quoque fuit, & ex illo est ortus. Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, hoc est, Christi, affert benedictionem, nempe, gratuitam peccatorum remissionem, per & propter Christum, sicut docet tota doctrina Euangelij. Sacerdotium Leuiticum est ministerium Legis, accusans & damnans omnes, ac maledicens.

24. Item, qui decimas dat, minor est illo, qui accipit. Abraham dedit decimas Melchisedech, ergo minor. In Lumbis autem Abraham Leui fuit decumatus. Quare Leui Minor est Melchisedech, & hic longè illo superior ac prestantior, & sic toto Sacerdotio Leuitico.

25. Præterea, cum stante adhuc politia, & Ceremonijs populi Israëliti, aliud promissum sit sacerdotium, & quidem secundum ordinem Melchisedech. Non solum abrogatio Leuitici Sacerdotij denunciatur: sed etiam melioris institutio promittitur. Non secundum ordinem Aharonis, aut Leui, sed secundum ordinem Melchisedechi, in aduentu scilicet veri summi Sacerdotis Christi, cuius typus fuit Melchisedech.

26. Ideo autem alio meliori quàm Leuitico opus est & fuit Sacerdotio, quia nihil ad perfectum adducit Lex: sed typi tantum fuisse, figura & umbra verorum bonorum, nec potuerunt tollere peccatum & Mortem, aut restituere Iustitiam & vitam, quæ alter ille Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Iesus nempe Christus, allaturus erat, perfectionem, hoc est, liberationem à peccato & Morte, ac restitutionem Iustitiæ & vitæ æternæ.

Quod enim & illa dicuntur expiare peccata, non propriè sic dicuntur, sed tantum typicè, in Christum respicientes, & ad Heb. 9. emundationem carnis in ista politia. Quia impossibile erat sanguine

sanguine taurorum & hircorum tolli peccata, & expiari.

28. Adhuc Sacerdotium Christi aeternum & sacrosanctum iuramento Dei institutum & confirmatum est. Psalm. 110. Iurauit Dominus, & non penitebit eum. Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech. Leuiticum verò caret tali Iuramento. Ergo etiam hac ratione longè illud præstantius.

29. Insuper Christus perpetuum habet Sacerdotium, unde in perpetuum saluare potest accedentes ad se, semper uiuens ad interpellandum pro nobis. Et vnus est summus Sacerdos aeternus. Illi verò non solum plures facti sunt, quòd Mors eos uiuere non permitteret: sed etiam prorsus abrogatum est & cessauit cum Pontificibus suis, & sacrificijs atq; oblationibus. Atq; ita umbra euauerunt, adueniente corpore, Christo. Ergo multò minus, ad mortuos confugiendum, quorum intercessio frustra queritur.

30. Item, summus hic noster Sacerdos solus & vnicus Mediator inter Deum & Homines, Sanctus est, impollutus absq; peccato, cælis excelsior factus, Deus & homo, ut cum vtriusq; Deo scilicet & hominibus participet. Leuitici autem Sacerdos, homines tantum fuerunt, & quidem peccatores miseri. Ideo non potuerunt homines Deo reconciliare, eorumq; expiare peccata suis meritis. Vnde prius & pro seipsis suisq; peccatis offerebant, postea pro populo.

31. Postremò Christi sacrificium semel oblatum, sufficiens est ἁρταῖς pro peccatis totius Mundi exhauriendis. Vnica enim oblatione consummauit in aeternum sanctificandos, ut repetitione adeò non sit opus, quod si quis repetere voluerit, argumentum hoc esset Imperfectionis. Sicut Leuitici Sacerdotes subinde & quotidie repetebant sua sacrificia, quòd non perfectos redderent cultores.

B

32. Sacer-

32. Sacerdotium itaq; noui Testamenti solius est Christi, summi, veri, vnici, ac perpetui Sacerdotis, & Mediatoris, qui seipsum obtulit Deo patri caelesti semel victimam pro totius Mundi peccatis.

33. Quare Sacerdotio Missatico non modò prorsus nihil opus est in Ecclesia Christi: sed blasphemia quoq; est in Sacerdotium, sanguinem & sacrificium Christi: cuius repetitio, **Hcb. 10.** vt Leuiticorum, argumentum est Imperfectionis. Quasi non vnica sua oblatione consummauerit in aeternū sanctificandos. Faceat ergo hoc hominum genus, ignauum, & ignotum veræ Christi Ecclesie. Quomodo & alter Ecclesie Pontificie error crassus. Inuocationis Sanctorum, quorum Intercessio petitur, pugnat cum huius summi nostri Pontificis officio, quo sedens ad dextram aeterni Patris semper viuere dicitur ad interpellandum pro nobis.

34. Vnde & in tota sacra Scriptura noui Testamenti, nullius alterius talis Sacerdotij fit mentio, quàm Christi. Nisi vbi omnes ex aequo Christiani, spirituale dicuntur & Regale Sacerdotium, quo tamen, nec abrogatur nec confunditur Ordo ministerij Ecclesiastici.

35. Vocauit enim Christus Apostolos, & instituit Ministerium Ecclesiasticum, quod constat prædicatione verbi ipsius, & administratione Sacramentorum. Sicut ablegans eos instruit dicens: *Ite, docete omnes gentes: prædicate Euangelium, docete eos seruare, quaecunq; præcepi vobis, Baptizate eos. Hoc facite in mei commemorationem.*

36. Facere autem eos quod ipse prior fecerat, præcipiens: non consecrat eos sacrificulos, qui offerant Deo patri caelesti suum corpus & sanguinem in Cæna, vel Missa, verè propitiatorium & expiatorium sacrificium pro viuis & defunctis, pro redemptione animarum. Hoc enim nec ipse in cæna sua fecit.

fecit : in qua corpus suum & sanguinem discipulis suis vescendum dedit . Illud verò postea demum in ara crucis obtulit postridie .

37. Quod verò Pontificij acutissimi sanè homines , ad confirmandam suæ Missæ Theatricæ impietatem , ex Genes. dicto loco argumentantur : Illic tantum duarum rerum fieri mentionem , Benedictionis scilicet , & panis ac vini . Sed quod ad benedictionem attinet , inquit , non separatur eâ Melchisedech à Sacerdotibus Leuiticis , quia tam ad illos pertinebat benedicere populo , quàm ad Melchisedech . Ideo in Num. 6 , hoc non potest esse typus Christi . Ergo in nouo Testamento , cum Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech , qui obtulit panem & vinum : sacrificium instituit , in quo sub speciebus panis & vini , Corpus & Sanguis ipsius offeratur patri cœlesti . Quod , vt Thomas inquit , est contra quandam coridianam delictorum nostrorum rapinam , vt sicut corpus Domini semel est oblatum in cruce , pro debito Originali : sic offeratur iugiter pro nostris coridianis peccatis in altari , & habeat in hoc Ecclesia munus ad placandum sibi Deum , super omnia legis sacrificia preciosum , & acceptum .

Thomas Aquin.
lib. de Sacramen-
to Altaris Cap. 1.
Tamen si alij Alb.
Mag. tribuant
hunc librum.

38. Respondemus , argumentum esse ex insufficienti partium enumeratione . Nequaquam enim illarum duarum tantum rerum fit mentio à Mose . Dicitur enim illic , quòd Rex fuerit , & Sacerdos , & quidem vocetur Melchisedech , id est , Rex Iustitiæ . Item Rex Salem , id est , pacis . Quæ singula author Epistolæ ad Hebræos diligentissimè perpendit , multis modis conferens Melchisedech cum Christo . Panis verò & Vini nullam prorsus fecit mentionem . Quòd omittendum minimè fuerat , cum voluerit ostendere , in quibus Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech . Quemadmodum su-



prà recensuimus ordine, in quibus consistant. Sed nec Melchisedech ipse, ut suprà probatum est, Deo panem & vinum obtulit, verùm exercitui Abrahæ protulit. Ideo in hoc non fuit typus Christi.

39. Præterea, si omnino in hoc consisteret similitudo, panis nempe & vini oblatione, neq; hac re separaretur Melchisedech à Leuiticis Sacerdotibus. Nam & hi panem & vinum obtulerunt, & libauerunt. Quod ex Leuitico Moysis manifestum est.

40. Et nota est D. Augustini Regula, Figura nihil probat. Fundamentum enim Missæ prius ex institutione cœnæ Dominicæ petendum & confirmandum erat, quod in omnem æternitatem nunquam fiet: Deinde figura adhiberi posset.

41. Sed Christus in cœna sua, neq; panem & vinum neq; corpus suum Deo patri obtulit: Verùm panem fregit, ac dedit discipulis suis edendum, vinumque bibendum eisdem distribuit. Non formam conserandi sacrificulos, hodie vsitatam, instituens, qua Suffraganeus tradens initiando sacris, calicem cum vino & aqua, pane superposito, dicit, Accipe potestatem offerrendi & conficiendi, pro viujs, & mortuis. Corpus autem suum Christus in cruce patri obtulit post die demum, sacrificium verè propitiatorium pro peccatis viuorum, & mortuorum.

42. Quod si omnino, id quod Melchisedech fecit, in figura panem & vinum offerrens, Christus in veritate sui corporis & sanguinis representauit, ut Ieronimus loquitur: quid hæc ad Sacrificulos Missaticos? Cur enim & ipsi in Missa sua non distribuunt alijs, quemadmodum & Melchisedech armato Abrahæ exercitui: & Christus in sua Cœna discipulis suis, sed soli vorant in priuatis suis Missis?

43. Sicut nec etiam hoc sequitur, Patres vocant cœnam
Domini

Grab super can.
Missæ lect. 1.

Domini, Sacrificium: ergo Missa est Sacrificium verè propitiatorium, pro peccatis viuorum & mortuorum. Plus est in consequentia huius argumenti, quam in antecedenti. Vnica enim mors Christi, sacrificium fuit propitiatorium, quo totius mundi peccata sunt exhausta. Nec potest, nec debet repeti hoc vlllo modo. Nec hoc vsquam apud patres, hoc est Scriptores Ecclesiasticos vetustiores reperitur: sed quod memoria sit vnici veri propitiatorij sacrificij Christi, in cruce semel peracti, quo expiauit peccata viuorum & antea mortuorum. Christus enim heri, hodie, ipse & in seculum.

44. Sicut etiam cum dicunt patres, offerimus pro Patriarchis, Prophetis &c. non nisi de gratiarum actione, qua pij Deo agebant gratias, pro beneficijs Ecclesie per ipsos collatis, intellexerunt. Absurditate enim non caret, si dicatur in Missa offerri corpus & sanguinem Christi pro Patriarchis & Prophetis etiamnum hodie, vt per hac scilicet consequantur remissionem peccatorum, quam in vita sua fide acceperunt, & in illa altera vita iam dudum cum Christo triumphent, ac beatitudine fruantur aeterna.

45. Missa igitur pontificia, qua horrenda est cœne Dominicæ prophanatio, quò digna est, missa est. Nec iugis sacrificij est abolitio, Missa illius abrogatio. Quod iuge sacrificium, non missa illius Pontificia impia ac sacrelega, fuerit typus: sed vnici veri propitiatorij sacrificij, quo Christus semel oblatus est in cruce pro totius mundi, & sic viuorum ac mortuorū peccatis exhauriendis, typus fuit: adumbratum per agnorum illorum vespertinam & matutinam iugem, ac quotidianam oblationem. Hic est enim agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, qui est ab origine mundi oblatus: In hunc omnes qui credit, iustificatur.

Iohan. 1.

Apo. 13.


Acto. 13.

FINIS.

T V B I N G Æ,



M. D. LXXVII.



Handwritten text in a Gothic script, likely a library or ownership mark, written vertically along the right edge of the page.

Handwritten text in a Gothic script, likely a library or ownership mark, written vertically along the right edge of the page.





ULB Halle

3


002 378 663



ant. cecidantur se
e sacre scriptur. **102**
hoc numero conset
e bene notis. Jam
les quadraginta di
cunant. et helyas
n. et ipe dominus n.
ator n. ihc xpc. huc
ii numeru implevit.
isen significatur les.

mus in hoc seculo. **103** u
sumo quam mercedem ad
didit apostolus sequitur
et dicit. **104** expectans illam
beatam spem. et manifesta
tionem glie bean dei. et sal
uatoris nri ihu xpi. **105** In hoc
ergo seculo quasi quadragi
simam abstinerat celebra
mus. cum bene unimus.





DISPUTATIO DE
MELCHISEDECH EX GE-
nes. 14. & Epistola ad He-
braeos, 7.

Diuina aspirante gratia.

PRÆSIDE
REVERENDO ET CLA-
RISSIMO VIRO, D. IACOBO HEER-
BRANDO, Sacrosanctæ Theologiæ Doctore,
& Professore in inclyta Tubingensi Academia ce-
leberrimo, Præceptore suo fidelissimo, & omni reue-
rentia colendo, M. ALEXANDER VVOLFF
HARDT Vvaiblingensis, 29. Martij hora sex-
ta, matutina, loco solito, exercitiij causa, de
materia proposita, pro ingenij
viribus, responde-
bit.



TUBINGÆ,
M. D. LXXVII.

